Ἄθυρα

De S. Gaudentio Episcopo Brixiensi Italiae. (Probabiliter circiter An. 410.)
Bollandi. AA. SS. Octobris XI. c. 593

Ingruente postea austro vehementi, tribus diebus Aegaeum mare et freta sine cibo trajecimus, circa duodecimam tertii diei horam appulimus ante urbem regiam juxta suburbanum Victoris.

Ubi retenti ab exactoribus portuum, vetiti discessimus; cujus autem jussu, ignoramus; **et conclusi** sumus **maritimo Thraciae castello Athyra dicto** Romani (legati ac proinde S. Gaudentius) in una domuncula, in pluribus vexati, ita ne famulus quidem praesto esset, qui ministraret. Qui vero cum Cyriaco erant [illegible] vexati [illegible].

Cum literas petiissent, non dedimus, dicentes: Qui fieri potest, ut qui legati sumus, literas imperatoris (Honorii) et episcoporum ipsi imperatori (Arcadio) non reddamus;

Cum autem eas non **d**are persisteremus, primus venit ad nos Patricius notarius, **d**einde quidam alii, postremum vero venit quidam Valerianus nomine e Cappadocia, praepositus unius militaris numeri, et rupto Mariani episcopi pollice, signatam imperatoris (Honorii) epistolam cum reliquis abstulit.

Postridie igitur miserunt ad nos an Aulici imperatoris (Arcadii), an οἱ περὶ τὸν Ἀττικὸν nescimus (Ipse enim (ἀπεδόθη)

ΑΚΑΔΗΜΙΑ ΑΘΗΝΩΝ

dicebatur ecclesiae thronum invasisse, qui nobis tria millia numismatum dabant, orantes ut persuasi cum Attico communicaremus et de Joannis judicio taceremus.

Quibus non assentientes, persistimus orare, cum nihil pacificum perageretur, ut sine periculo ad nostras ecclesias rediremus, visa tali inhumanitate.

Subdit Palladius episcopos de his machinationibus per visum monitos fuisse.

Post haec sic pergit: Instans igitur ipse tribunus Valerianus, conjecit nos in deterrimam navem, mercede, ut rumor erat, naucleris data ut perderet episcopos navigantes cum viginti militibus variorum officiorum et statim nos Athyris expulit.

Cum navigassemus stadia plurima et jamjam perituri essemus, appulimus Lampsacum: et inde mutata nave, vicesimo die applicuimus Hydruntem Calabriae.